


Fossilium facultates.

Quaedam rufo candicante, ut xanthos. Quaedam nigro rufescente, ut tertia batrachitis species. Aliqua atro purpurascens, ut alabandicus lapis. Alia aureo candicante, ut topatius. Sed plura separatos colores habent, ut nigro, albo, & quouis uersicolore, ut achates. Apficon uero nigram rubentes uenae distinguunt. Contra nasomonites, cum sit sanguinis colore, nigris uenis decoratur. Venae autem, quae speciem praeseferunt sanguinis intextae, quodammodo sunt heliotropijs, corpore porracei coloris. At in caeruleo sapphiro aurea puncta collucent. Quinetiam quaedam sunt, quae tres separatos habent colores: nam per album aegyptellae corpus duae uenae permeant, altera nigra, altera rubra. Porro eupetalos, & orca quatuor habent colores: eupetalos enim caeruleum, igneum, minij, mali: orca uero nigrum, fuluum, uiridem, candidum. Versicolores postremo nonnullae habentur, non aliter, ac collum gallinae Numidicae, uel pauonis, aut columbae in sole apricantis, ut cristalis, & pederotum genera: ea enim ad inclinationem colores permutant. Ceterum sciendum est, quod ex fossilibus, quae in medendi usum recipiuntur, alia quidem corpora sanant, alia uero eadem affligunt, in cibis uel potionibus data. At quae remedia corpori sunt, medentur ei partim proprietate totius substantiae, partim qualitate aliqua, quae profligantur morbi. Quae autem proprietate ualent, eorum quaedam resistunt uenenis, quaedam morbos sanant. Quibus natura dedit uires superandi uenena, eorum alia corpora, quae pestilentia sunt affecta, curant, ut smaragdus, sigillum Lemnium, gleba Armenia. Alia singulari ueneno medentur, sicuti scorpionum ictibus sapphirus potus, sulphur plagae illitum: fungis strangulantibus nitrum potum, ac pariter atramentum sutorium. Alia pluribus aduersantur uenenis, ut sal morsibus uiperae, crassa, ac crocodili. his enim emplastri modo imponitur: sed potum opio, & fungis praesidio est. Quibus uero fossilibus comparatum est, ut morbos proprietate fugent, eorum quaedam sanguinis profluum sistunt, ut hieracites. alia os uentriculi gestatu & appositu roborant, uelut iaspis. alia sinistro mulieris brachio adalligata abortum prohibent, ut aetites. alia item ad femora praegnantis alligata partum accelerant, ut idem aetites, & iaspis. Sunt quae crassa e corporibus deiciunt, ut magnes: alia atramentum, ut Armenius, & caeruleus lapis: nonnulla uomitum faciunt, ut idem Armenius lapis, chrysocolla, & chalcanthum. Sed inter ea, quae elementaribus qualitibus agunt, calefaciunt alumen, chalcanthum, chalcitis, misy, sory, melantheria. refrigerant terra Eretria, molibdoides, stibium, argenti spuma, cerussa. Quae autem secundis qualitibus operantur, quaedam molliunt quae dura sunt, ut gagates: quaedam contra indurant quae mollia sunt, ut lapis plumbarius, & stimmi. Sunt & quae insensibiles ferre poros aperiant, & quae claudant: aperit enim nitrum, spuma nitri: claudit terra Samia, & in summa omnis terra glutinosa. Alia, quae corpori coierunt, nempe glandulas, & nodos, discutunt, ut pyrites, molaris, bitumen. Aliqua cicatricem inducunt, ut chalcitis, misy, alumen scissum. Nonnulla carnem excrescentem minuunt, ut asy lapidis stos, erugo, chalcanthum, chalcitis, misy, calx uiua, auripigmentum, sandaracha, chrysocolla. Non desunt etiam, quae diuersis uiribus praedita sint, ut cimolia, & sal: cimolia enim & reprimat, & discutit: sal abstergit, & adstringit. Sunt denique quae uires eadem habeant, ita ut deficiente una, altera eius locum suppleat. Siquidem chrysocolla, & lapis Armenius eundem effectum praesentant: auripigmentum, & sandaracha: haematites, & schistos: atque haec quinque: chalcanthum, misy, chalcitis, sory, melantheria inter se uiribus consentiunt. Veruntamen ex his chrysocolla uim efficacior em obtinet, quam lapis Armenius: auripigmentum, quam sandaracha: haematites, quam schistos: chalcanthum, quam reliqua sibi cognata. Ceterum non pauca reperiuntur fossilia medicamenta (ut fusi libro sexto dicitur) quae in cibo, aut potu frequentius, aut copiosius sumpta, uel maxime sumentes affligunt, uel ipsi mortem inferunt. Idque efficiunt, uel quod uiscera erodant, ueluti sandaracha, & auripigmentum: uel quod spirandi organa ocludant, ut gypsum, & cerussa. Sed haec de fossilium facultatibus. Nam de concretis succis, cuiusmodi est sal, nitrum, alumen, chalcanthum, & caetera, quae cum eo cognationem habent, sulphur, sandaracha, auripigmentum, chrysocolla, & alia nonnulla, in huius libri processu suis locis latius tractabimus.

VITIS VINIFERA.



Ἄμπελος οἰνοφόρος. VITIS VINIFERA.
CAP. I.

FOLIA uitium, & triti capreoli, capitis dolores illitu mitigant: & inflammationem stomachi, ardoremque cum polenta. Folia etiam per se, ut quae refrigerent, & adstringant, imponi solent. Potus eorum succus: dyfentericis, sanguinem excreantibus, stomachicis, & grauidarum malaciae medetur. Eadem efficiunt madefacti in aqua capreoli, & poti. Lacryma uitium, quae ueluti gummi in caudicibus concrefcit, ex uino pota calculos pellit: illita lichenas, & psoras, leprasque, nitro prius perfrictas, sanat: eadem cum oleo saepius pilis illitis, psilothi effectum habet: maximeque fanies, quam accensa

censa farmenta uitium uiridia exudarunt: qua & perunctæ uerrucarum informicationes extrahuntur. Cinis farmentorum, & uinaceorum, detractis in sede condylomatis, & thymijs, illitus ex aceto medetur: prodest luxatis, & uiperarum moribus: contra lienis inflammationem illinitur cum rosaceo, & ruta, & aceto.

Ἀμπέλως ἀγρία. LABRUSCA.

CAP. II.

LABRUSCA duorum generum est. Alterius uua non maturefcit, sed florētenu cenanthen nominatam perducit. Altera ad frugem peruenit, paruis acinis, nigra, & adstringens. Folia, caules, & clauiculæ, quibus repunt, uim habent cultæ uiti similem.

Σταφυλή. VVA.

CAP. III.

VVAE recentes aluum turbant, & stomachum inflant. innocetiores, quæ decerp̄tæ diu pependere, ideo quòd in eis copia humoris exiccatur, utilesque fiunt stomacho, ægrisque, atque cibi auiditatem excitant. In uinaceis, & ollis seruata, ori & stomacho gratæ sunt, aluum sistunt, sed uescicam, & caput tentant: & sanguinem excreantibus conueniunt. Similesque, quæ in musto fuere. Sapa, aut passo conditæ, stomachum magis infestant. At quæ solem prius passæ, in aqua cœlesti conduntur, minus uinosæ sunt, siticulosis, ardentibus, & longis febribus salubres. Reconditi uinacei inflammatis mammis, rigentibus, ac præduris, cum sale illinuntur. Decoctura eorum dysentericos, cœliacos, & scēminas fluxione vuluæ laborantes iuuat infusa: ad defesiones, ac fetus assumitur. Nuclei acinorum adstringendi uim obtinent: stomacho utiles sunt. Inspargitur farina tostorum, polentæ modo, dysentericis, & cœliacis, & solutis stomacho.

VITIVM omnium genera, quæ non modò gratissimas, dulcissimasque uuas ad cibos proferrunt; uerum etiam ex his uinum præcipuum humanæ uitæ bonum, suauissimumque potum largiuntur, quot & qualia sint; hic scribere superuacuum esse puto. Quandoquidem earundem dulcedine humanum genus allectum, adeò eas sibi conciliauit, familiaris que reddidit, ut nullus tam clarus quam obscurus, tam nobilis quam ignobilis, tam denique urbanus quam rusticus inueniatur, qui de uitium generibus, earumque historia non possit aptè, atque etiam distinctè loqui. Ut autem & uites ipsæ, & uinum à quorundam uermiculorum erodentium uindictentur iniuria, illud omnino silentio inuoluendum non duximus, quòd si, dum à sarmentis repurgantur, ac putantur, falx hirci sanguine oblinatur, uel ea ipsa prius cotem exserta, castorei corio affricetur, uuper emissa gemmæ (si tanta rei agrariæ authoribus fides adhibenda est) ab erucis minime erodi possunt: neque etiam emissa iam folia, ab alijs quibusdam uermiculis conuolui. Præterea non ignorandum est, quòd magna admodum iniuria uitis infertur, atque uis maximum detrimentum, si brassica seratur inter uites, siquidem perniale uicium altera odium intercedit. Quòd cum animaduertent rei medicæ scriptores, præcipuum ebrietatis antidotum in brassica collocarunt. Ea enim si cruda præsumatur (ut apud plerasque nationes in cœnæ initio capitata brassicam minutim rescissam, lactucæ & intubi loco in acetarijs recipi obseruauimus) ebrietatem futuram mirum in modum arceat, quemadmodum etiam post sumpta crapulam discutit. Quo fit, ut Germaniæ populi uino admodum addicti, semper suis mensis brassicam interponant, uel recentem, uel muria asseruatam. Ad Elephantinem (ut Theophrastus est author) itemque circa Memphin, uites perpetua fronde uirent: tametsi annuas tantum proferrant uuas. In Italia uerò uites habentur, Plinio insanæ appellatæ, quæ ter in anno florent, sed primas tantum maturant uuas. Uuas sine uinaceis quidam prouenire affirmant, si propaginum ima pars, quæ terra in scrobe obrui debet, ante plantationem adeò secetur in longum, ut medulla utrinque eximatur, ac deinde cõiunctis partibus, & ulneo cortice circumuolutis, propagines ipsæ suis scrobibus implantentur. Sed ut iam uis suas reddamus facultates, uua (ut Galenus libro II. de alimentorum facultatibus memoriæ prodidit) quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent; ita fugacibus omnibus magis nutriunt, minimumque prauis succi habent, præsertim cum exactam maturitatem fuerint adeptæ. Porro quòd ipsæ nutriant, maximo argumento sunt ij, qui uinearum fructum custodiunt: quippe qui tunc temporis uuarum esu admodum pinguescant. Ceterum non omnes uno quidem modo nutriunt, quoniam quæ dulces existunt, cæteris succum habent calidiorem: ob id sunt siticulosæ, ac uentriculum inflant, & aluum subducunt. Contrarium efficiunt austera: siquidem, & uentrem cohibent, parum nutriunt, ægreque concoquantur. Acerbæ autem uitari prorsus debent, utpote quæ uentriculo aduersentur. Uua eò laudabiliores, quòd carnosiores fuerint, præsertim cum probè maturæ à uite decerpuntur. At pensiles, si prius maturæ sint, & dulces, cæteris minus uentriculum inflant, & aluum conuenienter emolliunt. Vitis, quæ Græcis ἄμπελος οἰνοφόρος, Latinijs Vitis uinifera appellatur: Arabibus, Harin, Karin, seu Karm: Italis, Vite uinifera: Germanis, Vweinreb: Gallis, Vigne. Quæ uerò ἄμπελος ἀγρία Græcè, Labrusca Latine dicitur: Italicè, Lambrusca: Germanicè, Vuil ueinreb: Gallicè, Vigne sauuage. At Uua Latinijs ac Italis, σταφυλή Græcis uocatur: Arabibus, Haineb, Germanis, Weinbeer: Gallis, Roisin.

Vitis uinifera, uuaque consideratio.

Vuarum facult. ex Gal.

Nomina.

Hb Σταφίς

VVA PASSA alba adstringentior est. Prodest esitata caro earum tussi, faucibus, renibus, ac vesicæ. Estur in dysenteria per se cum nucleis: & decocta in patinis cum melle, admista milij, ac hordei farina, & ouo, valet ad purgandum caput: eiusdem gratia cum pipere commanducatur. Testium inflammationes sedat, illita cum lomento fabarum, & cumini farina. Fauos, epinyctidas, carbunculos, enatas in articulis putredines, & gangrænas, sine nucleis trita, & cum ruta imposita sanat. podagræ conuenienter cum panacis succo illinuntur: mobiles vngues illita, celerius extrahit.

Vvæ passæ cōsideratio.

VVAS PASSAS, quarum ubique vulgaris & frequens est usus, omnibus notissimas esse arbitror. Verumamen non est, meo quidem iudicio, credendum, quod cum de Vuis passis mentionem faciunt Galenus, & ueteres alij, paruulas illas tantum intelligant, quæ hoc tempore ex quibusdam Aegæi insulis, ac Peloponneso Venetiis conuoluntur, & in quibusdam etiam Italiæ locis insolantur. Siquidem Galenus nulla magnitudinis, uel paruitatis habita ratione, omnes in uniuersum uuas solis calore siccatas, passas appellat. Id quod ipse Galenus libro secundo de alimentorum facultatibus ijs uerbis declarat. Porro quemadmodum passarum differentia, quæ à colore sumitur, nihil ad passarum facultatem confert, ita nec magnitudo: sola autem qualitas, quæ gustui inest, differentia potest omnia. Ex his nimirum Galeni uerbis satis colligi potest, ipsam omnis generis uuas, quæ solis feruore flaccescunt, nullo prorsus discrimine passas appellasse, nempe Damascenas cæteris grandiores (Zibibum officinae uocant) ac pariter his congeneres, quæ à Smyrnis (ut aiunt) Cypro, & Creta comportantur. Præterea loco citato idem Galenus ita scribit. Nonnulli autem, & rectè sanè, è dulcibus, grandibusq; quales sunt scybelitides, priusquam mandant, semina eximunt. quæ & ipsæ inueterata, cutim duram, crassamq; habent, easq; prius in aqua coguntur macerare: nam & semen ipsum facilius sic eximitur. Aliæ quædam sunt his contrariæ, solidæ, & crassæ, quæ nullam prorsus semen habent. Crescunt hæc in Cilicia, colore subflauo. In Pamphylia autem scybelitidæ, & colore nigræ: quæ, ut dixi, sunt maximæ. hæc ille. Ceterum sciendum est, non omnes Vuas passas eiusdem esse facultatis. alia nanque facultas inest dulcibus, alia austeris, alia uinaceos habentibus, alia non habentibus. Quæ itaque uinaceis carent, uel quod ita natura producantur, uel quod ij arte fuerint exempti, si dulces sint, adstringente facultate usque adeo priuatur, ut etiam mirificè leniant. quæ uero pectoris angustia, tussi, exasperatis faucibus, & renum, uesicæq; uitij maxime conueniunt. Id quod planè confirmat Galenus libro septimo, & octauo de compositione medicamentorum secundum locos, ubi uuas passas sine uinaceis leniendo pectori, ac iccinorosis plurimum commendat. Contra uero facultate omnino adstringente censentur, quæ cum suis uinaceis manduntur. Quod cum non ignoraret Dioscorides, Vvam passam cum nucleis in dysenteria edendam esse tradidit. Hinc itaque fit, ut maximo in errore uersari existimem medicos altoqui ætatis nostræ celebres, qui alui deiciendæ gratia, Vvam passam paruam uulgarem, quæ ex locis supra dictis in Italiam defertur, simul cum uinaceis deuorandam exhibent. quippe cum aluum fluidum facere in animo sit, eam potius cobibent, quam leniant: idq; potissimum, ubi uuæ passæ temporis tractu succi partem amiserint. Quare perspetua in hanc sententiam deducor, ut ad aluum emolliendam aptiores censeam Damascenas, Cyprias, ac Creticas (quibus tamen prius nuclei exempti sint, uel eæ sumantur, quæ sine nucleis nascuntur) quam quæ minutæ passim in officinis inueniuntur. quandoquidem hæc succi longè minus, quam corticis, & uinaceorum continent, nisi sint omnino recentes, & diligenter asseruata. Quapropter si hoc tenui uuarum passarum genere uti quandoque cogimur ad emolliendam aluum, eas eligi præstat, quæ sine uinaceis proueniunt: uel si hæc desint: suppleant illæ, quæ à nucleis fuerint expurgatæ. tametsi Damascenis, & Creticis longè bonitate cedant: de quibus sanè intellexisse Galenū, easq; ad pectoris uitia laudasse planè suspicamur. In quorum genere hæc etiam tempestate sunt, quæ semine carent, quemadmodum quæ Galeni ætate ex Cilicia conuehebantur. Illud porro animaduertendum est, quod ubi quis aluum bonam facere contendit, non debet passis uti, quæ gustui acerbicatem, uel austeritatem relinquunt: sunt enim tales frigida, ac terrestres. quibus utique facultatibus cobibent, adstringunt, & roborant, præsertim si cum uinaceis nucleis comedantur. Vnde scitè Galenus libro secundo de alimentorum facultatibus, hæc prodidit. Vvæ passæ cum alijs uuis eandem habent rationem, quam carica cum ficibus. Multæ enim fiunt dulces, acerbæ autem omnino pauca: plurimæ uero ex dulci, & austera qualitate sunt mistæ. quanquam dulces nonnihil quoque austere qualitates habent: & austera, dulcedinis. Ceterum ut dulces temperamento sunt calidiores, ita austera frigidiore. Ad hoc austera stomachū roborant, & uentrem constipant, & his multo magis acerbæ: mediam autem quodammodo inter ipsas constitutionem dulces obtinent, ut quæ nec stomachum dissoluant, nec aluum subducant. Dulcibus tamen, ut uis, quædam semper inest contemperandi, ita & mediocriter detergendi: quibus duabus facultatibus exiguas mordicationes, quæ os uentriculi infestant, obtundunt. Et libro VIII. cap. VII. de compositione pharmacorum secundum locos, idem Galenus sic inquit. Vvæ passæ contemptilis uideri possit, ob familiarem eius usum. At uero hoc ipsum eam facit utiliorē: nam cum familiaris nobis sit, in tantum adstringens est, quantum opus habet uiscus affectum. Habet autem & uim concoctoriam crudorum humorum, & uim coercendi maligna, fitq; ipsa haud facile putredini obnoxia: & ultra hæc secundum totam substantiam, uisceri ipsi, hoc est iccinori, familiaris est, & propria. Item libro de attenuante uictus ratione, sic habet. Vvæ passæ si non sint adstringentes, licni quidem, & hepatis tumentibus non conducunt, thoracis tamen, & pulmonis affectibus conducunt. De uuis autem passis, ut cibus sunt, locutus est ipse Galenus libro secundo de alimentorum facultatibus, his uerbis. Alimentum ex passis uuis tali qualitate in corpus distribuitur, qualis

Medicorum error.

Vvæ passæ ni ex Galeno.

ipsarum natura fuerit, dulce ex dulcibus, austerum ex austeris, mistum ex ijs, quæ utriusque qualitatis sunt participes. Quantitate uerò copiosius ex pinguibus, ac dulcibus: parcius ex austeris, & macris. Quòd si passarum pinguium, ac dulcium, à quibus semina fuerint exempta, parem molem cum pari uuarum mole contuleris, passas ualentius nutrire deprehendes. Huiusmodi sanè, ut minus quam caricæ subducant, abstergeantq; magis tamen quam ille stomachum iuuant. Hæc uua, quæ Græcis *σινθίς*, uua passa Latinis pariter ac Italis uocatur: Arabibus, Zibib: Germanis, Vucinbeerlen, Mercreubel, & Kosein: Hispanis, Passas: Gallis, Roifins en capiz.

Nomina.

Οἰνόθεν. OENANTHE.

CAP. V.

20 OENANTHE uocatur uitis syluestris fructus, cùm floret. Recondi debet fictili non picato, collectaque substrato linteo, in umbra siccat. Laudatissima in Syria, & Cilicia, & Phœnice. Vis ei adstrictoria: quare pota stomacho, ac ciundæ uirinæ utilis. aluum sistit, ac sanguinis excretaiones. Contra fastidia, & acorem stomachi, sicca, & illita efficax est. capitis doloribus tam uiridis, quàm sicca ex aceto, & rosaceo perfunditur: sanguinolenta vulnera cataplasmate, & incipientes ægilopas, oris ulcera, & genitalium nomas, trita cum melle, croco, myrrha, & rosaceo ab inflammatione vindicat. Pelsis miscetur ad sistendum sanguinem: contra oculorum delacrymationem, & stomachi ardores cum polline polentæ, & uino illinitur. Cinis crematæ in testa candentibus prunis, facit ad oculorum medicamenta: reduuias, & pterygia, abscedentes gingiuas, cruentasq; cum melle sanat.

30 OENANTHEN non illius labruscæ modò florem esse, quæ uuas ad maturitatem non perducit; uerim etiam alterius, quæ fructum perficit, asserere non dubitamus. Nam etsi superius scripsit Dioscorides, labruscam duorum generum esse, atque alterius uuam non maturescere, sed florētenu Oenanthen nominatam perducere: nihil tamen propterea prohibet, quin alterius quoque labruscæ florentis uua Oenanthe pariter dici queat, cùm non aliud ueteribus significet Oenanthe, quàm uitis flos. Quòd in præsentis capite ipse Dioscorides manifestè declarat: quippe qui tradat Oenanthen uocari uitis syluestris fructum, cùm floret, nullius facta generis distinctione. Quin & idem in sequentibus confirmat, ubi uini oenanthini meminit, è feracis syluestris uitis floribus fieri scribens. Ex his itaq; abunde constare arbitror, nò tantum infructiferæ, sed etiam fructiferæ labruscæ florem Oenanthen uocari posse. Adde quòd id quoque apertè testatur Galenus lib. VIII. cap. I. de compositione medicamentorum secundum locos, his uerbis.

Oenanthes cõfideratio.

40 At uerò quemadmodum omphacium, sic etiam absinthij succo admisceo, quandoque etiam ambo, & tertium insuper hypocistidis, & quantũ oenanthes. sic autem appello uitium syluestrium germen unà cum floribus, ex quo succedentibus diebus uua fit. Plinius lib. XII. cap. XXVIII. Oenanthen uuam, non florem esse censet sic inquit. Eo dem & Oenanthe pertinet. est autem uitis labruscæ uua. Colligitur com flore, cùm optimè olet. hæc Plinius. In cuius ultimis uerbis suspicor mendam subesse, & fortè rectius legendum esse, cùm floret, non cum flore. Non enim uideo, quomodo quis unquam uuam cum flore colligere possit. Cæterum ne aliquis fortasse decipiatur, hic non duximus silentio dissimulandum esse lapsum Marcelli Vergilij, alioqui doctissimi interpretis, & commentatoris Dioscoridis. Is autem ex eius uerbis, quæ nunc subijciam, magis innotescet. Monemus, inquit, scribere in VI. suæ medicinæ Paulum Aeginetam plurimum quidem ex labrusa Oenanthes usum esse, quoniam egregiè adstringit, stomachumque, & aluum maxime firmat. Veruntaxen traditis his, idem statim subijcit. Dioscorides autem aliam describit Oenanthen contrariis huic uires habentem. ideoq; secundis, stillicidio uescæ, & follis suffusionibus eam mederi ait. Quorum nihil in capite hoc legitur, neque in scriptore hoc alibi legisse me memini, & nihilominus non negligenda Aeginetæ autoritas, & testimonium est. quem credere oportet uera, & quæ aliquando legisset, testari. hæc Marcellus. In quibus sanè uerbis euidentissimè deprehenditur hallucinatus, uel potius eorum oblitus, quæ de Oenanthe herba uiribus huic cõtrarijs prædita, memoriæ prodidit Dioscorides libro tertio. Neque solium huius, quam tamen Latinam fecerat, non meminisse uidetur; sed neque eorum quoque, quæ ibidem in sua commentatione doctè satis scripsit. Sed aliquando etiam bonus (ut aiunt) dormitat Homerus. Illud postremò addiderim, quòd etiam domesticæ uitis flos Oenanthe dicitur. Uerim quia syluestris uitis ui multò magis adstrictoria pollet, is per excellentiam Oenanthe appellatur. Dicitur igitur Græcis *οινώθεν*: Latinis, Oenanthe, & Labruscæ flos: Italis, Enanthe: Germanis, Vuld reben: Gallis, Grappe de uigne sauuage.

Marcelli Vergilij lapsus.

Nomina.

Ομφάκιον. OMPHACIUM.

CAP. VI.

50 OMPHACIUM succus est acerbæ uuæ nondum maturescens, è Thasia uite, aut Aminæa. Oportet autem ante Canis ortum, expressam melliginem in rubro ære, linteo cooperto, in solare, usque dum cogatur: semperque quod ceruici uasis concretum hæsit, reliquo humori permiscere: noctu uerò à subdialibus locis in tectum referri, quandoquidem nocturni rores ipsum concretere non sinunt. Eligendum est flauum, friabile, vehementer adstringens, & linguam mordens. Sunt qui coquendo melliginem cogant. Prodest contra tonsillas, uuam, ulcera oris, humida gingiuarum vitia, purulentas aures cum melle, aut passo: item ad fistulas, vetera ulcera, nomasque ex aceto. dysentericis, & mulieribus fluxione uulue laborantibus clystere infunditur: oculorum claritati, & scabritiæ, & erosionibus angulorum conuenit. Bibitur ad recentem sanguinis excreationem, etiam si rupta parte aliqua contingat: sed pauco, & aquatiore est utendum, valde liquidem exurit.

Hh 2 OMPHACIUM

Omphacij cō-
sideratio.Omphacij ui-
res ex Gal.

Nomina.

OMPHACIUM ex omni immaturarum uuarum genere parat Italia, cum Thasijs, & Aminæis careat uuis, è quibus ueteres sumum Omphacium conficiebant, ad medicinæ duntaxat usum, id in sole cogentes, ubi uidelicet adstri-
ctione opus erat. Quæ tamen parandi ratio hoc tempore serè prorsus exoleuit. Sunt qui ut maiorem omphacio ad-
strictionem comparent, è syluestrium uitium uuis illud exprimant, non ad medicamenta tantum, sed etiam ad ciborum
condimenta. Verùm omphacium nostrum sole non cogitur, etsi pluribus diebus ipsum insolari dimittamus suis cum ui-
naccis in cado, crasso linteamine cooperto, donec excrementa subleuentur, sex uerò subsidat, & inclarescat succus.
Siquidem hac parandi ratione absq; sale per annum incorruptum asseruatur tam ad ciborum, quam ad medicamento-
rum usum. Omphacium (ut Galenus memoriæ prodidit lib. 1111. simpl. medic.) calidis morbis omnibus magno iu-
uamento adhiberi potest. quippe cum id omnino acidum sit, perfectè etiam refrigerat, uniceq; ardoribus prodest,
siue ori uentris impositum, siue totis hypochondrijs, siue euilibet alij, quòd refrigerare uelimus. Id Græci οὐφάκιον
ἄγιον dicunt, quod Latini item Omphacium: Itali, Agrestò: Germani, Agrest: Hispani, Agraz: Galli, Veriust.

Οἶνον φύσις. VINI NATVRA.

CAP. VII.

VINO uetere nerui læduntur, & reliqui sensus, quod tamen gustu suauius est: quare cauendum
ijs, qui intestinæ alicuius partis imbecillitatem sentiunt. attamen in secunda ualitudine paucum a-
qua dilutum, innoxie sumitur. Nouum inflat, ægrè coquitur, insomnia parit grauia, & urinam
ciet. Aetate medium utraque uitia fugit: quare ad uictus sanorum, ægrorumque usurpatur. Al-
bum, tenue, stomacho utile est, ac facillè in membra distribuitur. Nigrum uerò crassum est, & con-
coctu difficile, carnem alit, & ebrietatem creat. Giluum, utpote quod medium est, medias inter u-
trunque uires habet. In secunda tamen, & sinistra ualitudine, cum primis laudatur album. Quin-
& uina sapore distant. siquidem dulce crassis partibus constat, & difficiliter à corpore expirat: stoma-
chum inflat, aluum & interanea ut multum turbat, sed minus inebriat: renibus, & uesicæ aptissi-
mum. Austerum per urinam celerius transit: sed capita dolore tentat, & temulentiam gignit. Acer-
bum ad ciborum per membra digestionem accommodatissimum: aluum, & cæteras fluxiones cohi-
bet, minusque urinam expellit. Nouum neruos minus tentat. Vinum aqua marina factum stoma-
cho aduersatur, sitim stimulat, neruos infestat, aluo aptum, à ualitudine se recolligentibus inutile.
Passum, quod uis sole siccatis in area, aut in sarmento torrefactis exprimitur, Creticum cognomi-
ne, aut pramnion, aut protropon: & sapa, quæ sit multo igni decocto, Græci sirion, aut hepsēma
appellant: nigra quidem, & quæ dicuntur melampsithia, crassa sunt, & corpora multum alunt: can-
didum tenuius: & heluola inter hæc media, medias sortiuntur uires. Omnia tamen adstringunt, &
pulsus reuocant. faciunt aduersus uenena, quæ exulcerando necant, ex oleo pota, & uomitionibus
reddita: contra cicutas, meconium, pharicum, toxica, & concretum in grumos lac: item contra re-
num, & uesicæ pruritus, rosiones, exulcerationesque. inflat tamen, & stomacho aduersatur. Priua-
tim, prodest melampsithium, si uenter rheumatismum sentiat. Album magis cæteris emollit aluum.
Gypso conditum neruis officit, caput aggrauat, & incendit, ac uesicæ aduersatur: contra uenena cæ-
teris aptius. Picata, aut resinata excalfaciunt, concoquunt: sanguinem excreantibus inimica. Quæ
uerò aparachyta uocant, ut quæ admistam sapatam recipiunt, caput implent, temulentiam gignunt,
ægrius in halitum expirant, stomachum malè habent. Inter Italica uina Falernum principem lo-
cum obtinet: quod inueteratum perquam facillè coquitur, pulsus exuscitat, aluum adstringit, stoma-
cho utile: sed uesicæ nocet, atque ijs qui uisus hebetudinem sentiunt, & ad potus crebros minimè
idoneum. Albana crassioribus constant partibus, dulcia: stomachum inflant, ventrem emolliunt,
sed concoctionem non æquè adiuuant, & neruosa minus infestant: uetustate eadem austerum sapo-
rem concipiunt. Cecubum, cum sit dulce, est & Albano crassius corpus, & colorem alit: ægrè ta-
men coquitur. Surrentinum ualde austerum est: quare intestinorum, & stomachi fluxiones cohibet,
& cum tenue sit, caput minus tentat: inueteratum suauius redditur, & stomacho utile. Adrianum, &
Mamertinum in Sicilia æquè crassis partibus gignuntur: modicè adstringunt, & ocysimè inuete-
rantur, minusque ob suam tenuitatem neruos tentant. Parætypianum, quod ex Adriatico sinu de-
fertur, odoratum, ac tenuius est: quare liberaliter epotum fallit, diu seruat ebrietatem, & soporem
adfert. Istricum Parætypiano simile est, sed urinâ uehementius pellit. Chium tamen antedictis mol-
lius, & aptum potui est. bene alit, & minus inebriat, fluxiones cohibet, oculorum medicamentis
utile. Lesbium facillè membra subit, Chio leuius, & aluo idoneum. Ephesium eandem uim habet,
quod Phygelites nominatur. Verùm Asianum è Tmolo monte, Mesogites appellatum, capitis do-
lores ciet, & neruos lædit. Coum uerò, & Clazomenium, quoniam multam sibi maris aquam uen-
dicant, facillè corrumpuntur: flatus mouent, aluum turbant, neruis oficiunt. Vinum omne (ut
reliqua in commune dicantur) merum, ac syncerum, & sua natura austerum, excalfacit, facillè in mē-
bra distribuitur, stomachum adiuuat, appetentiam ciborum inuitat: vires alit, ac robur auget: som-
num conciliat, & commendat colorem. Potum liberalius auxilio est contra assumptam cicutam, co-
riandrum, pharicum, ixiā, meconium, argenti spumam, taxum, aconita, fungosve: contra serpen-
tium morsus, & omnium ictus, quæ refrigerando necant, aut stomachum in uomitiones effundunt.
Facit ad longas inflationes, rosionesque præcordiorum, ac distentiones, stomachi resolutionem, & si
uenter

tenter, aut interanea rheumatismum sentiant. Conueniunt sudatoribus, & quibus corpus immodico sudore digeritur, maximè alba, uetera, & odorata. Quæ tamen uetustate dulcescunt, renibus, ac uescicæ accommodatiora redduntur: vulneribus, inflammationibusque in succida lana imponuntur: tetra ulcera, & phagedænica, & fluxionibus obnoxia commodè perfunduntur. Quæ marinam non receperunt, austera, & alba, ad sanorum uictus vsurpantur. In his præstant Italica, Falernum, Surrentinum, Cecubum, Signinum, & per multa Campaniæ, & Parætypianum ab Adriatico sinu, & Siculum, quod Mamertinum appellatur. Ex Græcis Chium, Lesbium, & Phygelites ex Epheso. Crassa uerò, & nigra stomacho negotium exhibent, inflationem pariunt, corpus augent. Tenuia tamen, & austera stomacho profunt, & minus carnes alunt. Vetera valde tenuia, & candida uehementius urinam ciunt, & dolores capitis mouent, neruosque largius pota tentant. In media ætate, ut à septimo anno, potui saluberrima sunt. Modus autem pro ætate, & tempore anni, & consuetudine, & qualitate uini definiatur. Non fitire, & modicè cibos proliui, optimum est præceptum. Nocet ebrietas omnis, & maximè assidua: siquidem obsessos neruos quotidie remittit: largiorq; potus acutorum morborum adfert initia. Medioeris tamen uinolentia aliquot diebus, maximè post aquæ potus, utilis: nanque modo quodam ex alto euocat, sensilesque expurgat exercitus, & per cæca corporis ducit spiracula. Sed aquam post uinolentiam bibere oportet: siquidem ualetudinis alicuius gratia factæ temulentiaæ remedium adfert frigida.

20 CVM profecto Vinum sit liquor omnium suauissimus, præcipuum humanæ uitæ bonum, ac præstantissimum subsidium, uitalium spirituum regenerato maximus, ac omnium corporis tum facultatum, tum functionum instaurator optimus, cor lætificet tueaturq; summo opere, nulli mirum esse debet, quod plantam, quæ fructum fert, ex quo uinum exprimitur, uitam, quasi uitam, appellauerint ueteres. Verum non ob id gaudeant, iubilentq; ij, qui uino nimis indulgent, quod ego ipsum tot laudibus extulerim. quippe cum omne extremum (ut in communi pro uerbio est) sit uitiosum, si uinum immoderatè, & plus quam deceat, bibatur, periculosos atque horrendos (ut mox dicetur) procreat morbos. Aliàs si in eius usu temperantia adhibeatur, tum ad alendum, tum etiam ad roborandum corpus omnium efficacissimum habetur. quandoquidem purissimum generat sanguinem, ocyssimè in alimentum uertitur, concoctionem in quauis corporis parte adiuuat, animum addit, cerebrum purgat, intellectum excitat, cor exhilarat, spiritus uiuificat, urinam ciunt, status discutit, innatum calorem auget, conualescentes impinguat, cibi appetentiam inuitat, sanguinem turbidum clarificat, obstructions aperit, alimentum in uniuersum corpus defert, colorem conciliat, & omne in corpore excrementosum deiecit. Sed si modus absit, & sine ratione, ac temperamento sumatur ingurgiteturue (quod facere solent ebriosi) ex accidenti totum refrigerat corpus. neque enim secus nimio eius potu (ut Galenus inquit) innatus corporis calor suffocatur, atque paruus ignis magna lignorum strue extinguitur. Præterea cerebro, spinali medullæ, ac neruis inde exorientibus obest. hinc fit, ut principe hac parte affecta, temporis tractu maximi, et perniciosi concitentur morbi, nempe apoplexia, epilepsia, paralysis, tremor, stupor, ephaltes, catalepsis, conuulsio, uertigo, articularum contractio, lethargus, phrenitis, destillatio, surditas, cæcitas, & oris labiorumq; distentio. Quinetiam uinum immoderatè haustum, bonos corrumpit mores. nam quod homines contentiosi, loquaces, effrenesq; fiant, quod furant, menteq; moueantur, quod deniq; alicui, libidini, ac rei ueneriæ semper ferè indulgeant, ac nonnunquam homicidia committant, nulli uerius adscribendum est, quam uino immodicè sumpto. Adde quod memoriam dissipat, sensus omnes perturbat, assiduos morbos parit, & repentinas mortes adfert: ne singula persequar, quæ recensere longum esset, & audire molestum ijs, qui nimium uino dediti sunt. Cæterum Vinum magis senectuti, quam reliquis ætatibus conuenit. id siquidem frigidam senum temperiem, talem annorum multitudine redditam, temperat, ac mulcet. Verum pueris, ac adolescentibus ad uigesimum annum usq; minimè concedi debet, si Galeni sententiæ subscribendum esse putamus, qui libro secundo de tuenda sanitate, nil aliud asserit uinum esse pueris, & adolescentibus exhibitum, quam ignem igni additum. Cauendum quoq; est, ne in ardoribus æstatis uinum niue, aut glacie, aut gelidissima aqua perfrigeratum hauriatur: quod cerebro, neruis, pectori, pulmone, uentriculo, intestinis, spleni, iccinori, renibus, uescicæ, utero, dentibusq; maximè noceat. Quare admirari non licet, si tempore uinum arte frigefactum bibentes coli, & uentriculi cruciatibus afficit, item conuulsionibus, resolutionibus, apoplexia, spirandi difficultate, urinæ suppressione, calculo, uiscerum obstructione, aqua intercute, ac pluribus alijs grauioribus, & perniciosis morbis. Proinde scitissimè Galenus libro de cibis boni, & mali succi, hæc prodidit. Qui non exercentur

30 summa ætate, cum uehementi calore urgentur, fontis aquam bibant, niuisq; & uini refrigerati usum uitent. Hæc enim quamuis protinus nullam iuuenum corporibus sensibilem læsionem inferant; sensim tamen, occulteq; crescente uitio, cum iam ætas progressu temporis inclinauerit, articulos, neruosq; & uiscera ijs morbis uexat, qui uel difficulter admodum, uel omnino tolli non possunt. Ad hæc in tuenda sanitate diligenter procurandum est, ut uinum, quod in potu alimenti gratia quotidie sumitur, sit mundum, purum, clarum, odoratum, & sapore iucundum: nanque corruptum, turbidum, impurum, odore graui, & gustu ingrato, non modò toti corpori noxam infert; sed etiam sanguinem corrumpit. Quapropter felicissimè suam tuentur sanitatem, qui regiones incolunt, in quibus optima uina proueniunt. quemadmodum in Goritiensi comitatu, ubi sanè generosissima uina nascuntur, nimirum Pucinum illud antiquis adeo celebratum, necnon Vipacum illi bonitate proximum. Hæc quidem parèe modesteq; pota, ad tuendam sanitatem mirificè conferunt. Id quod ipse experientia in me facta comperi, atque etiam omnibus ingenie testari possum. nam cum multis antè annis diuturnus uentriculi dolor malè me habuisset, quem totius corporis imbecillitas consecuta erat, ex Pucini, & Vipaci tantum usu, me pristinam meam sanitatem, & integrum robur adeptum esse certò scio.

Vini facultates uariæ pro modo uis.

Vinū cui ætati conueniat.

Ob id ergo mirandum non est, si Plinius magnis laudibus prædicauit Pucinum libro XIII. cap. VI. ubi ita scriptum reliquit. Liuiæ Augusta octuaginta duos annos uitæ Pucino retulit acceptos, non alio usa. Gignitur in sinu Adriatici maris, non procul à Timauo fonte, saxeo colle, maritimo afflatu, paucas coquente amphoras. Nec aliud aptius medicamenti iudicatur. Hoc esse crediderim, quod Græci celebrantes miris laudibus pycetanum appellauerunt ex Adriatico sinu. hæc Plinius. Cuius certè testimonio planè subscribunt rustici Iapidie incolæ: quippe cum ij uinis Pucino cognatis in quotidiano potu utantur, rarissime ægrotant, & longæuam admodum uitam traducunt, adeo ut plurimi reperiuntur, qui nonagesimum, & centesimum annum attingunt. Est autem uinum hoc tenue, clarum, lucidum, colore aureum, odoratum, gustuq; gratissimum. Potum ualenter excalfacit, nisi dilutum fuerit, facileq; in uniuersum permeat corpus. Quamobrem (ut libro tertio simplicium medicamentorum scribit Galenus) tale natura uinum, non modò perfrigeratorum omnium, sed eorum etiam, qui aut ex oris uentriculi, aut cordis dolore animi deliquum patiuntur, præsentaneum fuerit remedium. Ex quibus facile colligi potest, felicissimos esse eos, qui in regionibus, quæ uina optima ferunt, oriuntur, si tamen modeste (ut fieri decet) eis utantur. Cæterum quæ uina in uniuersum quotidiana usui magis conueniant, hic longiori sermone commemorare superuacuum duximus, cum hoc à Dioscoride latius sit proditum, atq; etiam de omnium uinorum uiribus diligentius scriptum, quàm ut plura à nobis referri debeant. Uinum sic Latine, οἶνος autem Græcè uocatur: Germanicè, Vucin: Italicè, pariter & Hispanicè, Vino.

Οἶνος ὀμφακίτης. VINVM OMPHACITES.

CAP. VIII.

OMP H A C I T E S nomine, peculiariter fit in Lesbo, ficcata sole acri uua, paulò ante maturitatem decerpta, triduo aut quadriduo, donec racemi in rugas contrahantur: expressumque uinum cadis infolatur. Vim adstringendi habet, prodest dissolutis stomacho, & ilei dolore laborantibus: item prægnantium malaciæ, & crudis, in pestilentia quoque sorptum auxiliari dicitur. Huiusmodi uina non nisi post multos annos bibi possunt.

Δευτερία. LORA.

CAP. IX.

LORA, quam deuterian, alij potimon appellant, fieri solet adiectis metretis tribus aquæ in uinacea, quibus triginta uini metretæ extractæ fuerint: calcatis vinaceis, expressoque decocto ad tertias partes, & additis in singulos congios modi eius qui remansit, binis salis sextarijs, post hyemem transfunditur in uasa. Lora intra annum utendum: etenim celeriter exolefcit. Conuenit ægris, quibus timemus noxam uini, coacti sæpe desiderijs eorum obtemperare: item à longa valetudine se recolligentibus. Fit & uinum, quod adynamon uocant, loræ vires habens, hoc modo. Pares aquæ, & multi mensuræ coquuntur molli igne, donec absumatur aqua: quod, ubi refrixerit, elutriatum picato vase reconditur. Alij marinæ, & cælestis aquæ, mellis, & multi pares miscent portiones, decapulant, & quadraginta diebus infolant. quo ad annum utuntur ad omnia eadem.

Loræ parandæ ratio ex Galeno.

LORA alia ratione Galeni ætate, quàm Dioscoridis paratur. Ille siquidem loram faciendi modum libro XI. de alimentorum facultatibus, ijs uerbis tradidit. Vinaceorum quoque dilutum Græci τρυγία uocant. quod rursus ab Atticis δευτερία, à nostratibus σεμφυλίτης, id est, lora appellatur. Comeditis nanque in parua dolia uinaceis, tantum aquæ super affundunt, quoad omnia permadeant. Quod ubi satis factum uideatur, in dolij fundo foramen aperiant, ut dilutum effluat, idq; pro uino bibunt. Perspicuum autem est, quod pro racemorum copia aquam affundunt, experientia docti: quò uidelicet neque aquosa admodum, neque meraca sit lora. Deinde rursus aliam aquam, parciorem tamen priori, uinaceis affundunt, sic ut hoc quoque potioni sit attemperatum: quod quidam Atticæ proprietatis curiosi propriè δευτερίαν dici uolunt, non ueluti prius illud. Vtraq; lora capiti dolorem adfert, nisi diluor bibatur, sed prior magis caput ferit. Dos una huic potioni concessa est, nempe quod ocysus per urinam reddatur: sed nò pauca subest diuersitas ex uaria uinarum specie, e quibus uinacei sunt relictæ. Etenim si dulces fuerint, potus multò erit suauior, citiusq; per urinas excernetur: sin uero acerba, & acida fuerint, insuauior longè, ac minus ciens urinas. Porro dilutum hoc ualentius uinosiusq; efficitur, cum uinaceus ad uer, aut æstatem fuerit asseruatus. Hyemis autem tempore si quis utatur, ut caput minus tentat, ita & per urinas minus expellitur. Hæc de lora Galenus. Ea δευτερία Græcis, Latinis Lora, & Italis Acquarello appellatur.

Οἶνος ἐκ τῆς ἀγρίας σαφυλῆς. VINVM E' LABRVSCA.

CAP. X.

VINVM è syluestri uua nigrum, adstringit: prodest atui, & stomachi fluxionibus, & cæteris, quibus constrictione, & contractione opus est.

NON desunt in Hetruria, qui uinum è Labruscæ uuis exprimant, colore admodum nigro, idq; giluo admiscant, ut rubicundius reddatur. Utuntur eo rustici in alterius uini penuria. siquidem constat dulce simul, & austerum: uerum tractu temporis dulcedinem facile deperdit, fitq; tunc gustui omnino insuaue, adeo ut tantum medicamenti uicem expleat, ubi adstrictione sit opus.

Οἶνος